FABIO DE VECCHIIS NATALIBUS, VIRTUTE, DOCTRINAQUE NOBILISSIMO...

3
29
315.3

FABIO DE VECCHIIS

NATALIBUS, VIRTUTE, DOCTRINAQUE NOBILISSIMO
PUBLICO IN SENENSIBUS ATHENIS
THEOLOGICORUM DOGMATUM PROFESSORI
METROPOLITANÆ SENENSIS ECCLESIÆ CANONICO
AC TIBERII BURGHESII AMPLISSIMI
EJUSDEM CIVITATIS PONTIFICIS
QUUM IN SPIRITUALIBUS, TUM IN TEMPORALIBUS
GENERALI VICARIO
CARMELITÆ DISCALCEATI S. MICHAELIS
IN OBSEQUII TESSERAM, OBSERVANTIÆQUE
MNEMOSINON
THEOLOGICAM DE POENITENTIA DISPUTATIONEM
DICARUNT.

1879
XXII.
Digitized by Google

THeologicam, quam adgredior, Concertationem, ut Tibi FABI DE VECCHIIS, inſtituam, multa enim vero me movent, dicam melius, me urgent & impellunt multa. Obverſatur namque animo primum originis magna nimis perſpicuitas tuæ. Ex ea tu quippe ortus Familia es, quæ præclariſſima ſemper extitit, quæque viros uſque tulit, aut literaria laude præſtantes, aut rebus bellicis gnaviter geſtis percelebres, aut honorum titulis fulgidos, aut ſacris decoratos Thiaris, aut Romano conſpicuos oſtro, aut legationibus ad Principes, ad Cæſares, ad ſapremos ipſos Eccleſiæ Hierarchas ſpectatiſſimos, (1) *quorum ſuperba nomina Iſtoriæ tabulis conſignata venerabunda omnis audiet, & loquetur ſera Poſteritas.*

Simul illa occurrit „ quæ ſi deeſſet tibi forte creato Nobilitas eadem pro Nobilitate valeret, (2) „ *eximia profecto, ac propemodum ſingularis vitæ, morumque*

(1) Vide Gigli Diar. San. pag. 532.
(2) Ovid. Carm. ad Piſon.

tuorum integritas. Quanta enim tibi pietas in Deum, cujus jugiter in oculis honorem habes, illumque perpetim omnimoda ſtudiorum contentione diſquiris? Quanta in homines comitas, quorum nemo Te adit, Te alloquitur, Tecum una verſatur, quin ſuaviter allectus ſermonibus tuis arctiſſimis æternæ in Te obſervantiæ, ac benevolentiæ vinculis adſtringatur? Quam etiam erga miſeros quoſque, & egenos inſignis Miſeratio, & Liberalitas, queis umquam opitulari non deſinis, & eum opitulari in modum, ut ne ſiniſtra quidem tua ſciat, quid illis eroget, erogat tamen plurimum, dextera tua? Quam benigna tibi tandem equitas, qua quidquid agis moliris, vel cogitas, honeſtum oppido, ac grandi laude dignum, excelſoque eſt offerendum præconio?

Seſe offert ultimo cum experrecto, perſpicaciſſimoque conjuncta Ingenio numeris plane omnibus expleta, atque perfecta cunctarum fere Facultatum peritia tua. Nam quid dicam de Thetico-Polemico Dogmatica Theologia, cujus ab Hetruriæ Magno Duce paucis

retro

retro annis Senenſes haſce in Athenas es Profeſſor accitus, ut in ampliſſima hac univerſarum diſciplinarum luce collocatus, velut ſuper candelabrum poſitus, in omnes Mundi partes, quotquot ſtudiorum cauſa Adoleſcentes ſuos huc paſſim mittunt, hujus doctrinæ tuæ radios diffunderes? Quid Juris quum Civilis, tum Eccleſiaſtici ſcientiam memorem, qua in tanto Summorum Virorum affluxu, qui in hac Urbe ſunt, Te Archipreſul eximius Noſter Tiberius Burgheſius, acutiſſimus ipſe meritorum hominum diſcretor, & æſtimator acerrimus Te, inquam, voluit unum poſtremis diebus iſtis, qui Vicariam ei operam impenderes, atque in cauſis ad ejus Tribunal pertinentibus diceres ſententiam? Quid Ethices, quid Moralis cognitionem perſequar, ob quam ſcitiſſimi quique, ſanctèque Veritatis amatores ſumma tui commendatione Te ſuſpiciunt, extollunt, admirantur? Sic denique in optima qualibet excellis arte, ut unicuique ſoli toto vitæ curriculo incubuiſſe videri Hercule poſſis.

Non propterea mirum, ſi conatus hoſce meos, ſtudiorum meorum fructus, Nomini reddo ſacros, dicatosque perenniter tuo. Qui enim talia, ac tantæ Dignitatis cogitans Tibi non ſiſtere, exibere Tibi obſequii actum hunc non debeo, quem ingenti quodam murmure tanquam Tibi debitum jure a me omnia, meritoque repoſcunt?

Sentio tenuem, exilemque admodum eſſe, quamvis Tibi reddendam oblationem hujuſmodi, atque ab Amplitudine tua quam longiſſimo diſtare intervallo. Verum mihi polliceor Tibi haud fore injucundam, ſi amplecti non dedignaberis eam ad modum quo ſuperi, vel Thura, vel libamina Victimarum excipiunt. Illi ſiquidem (ut verbis utar Hildeberti Epiſc. epiſt. 36.) magis, quam hoſtiam affectum conſiderant, devotionem magis quam impenſa perpendunt, cujus preſertim gratia, qualia demum cumque ſint, eiſdem dona non diſplicent.

Ut hanc mihi preſtes benignitatem, Te quem ita intueor „ ut vix humana vi-

dea-

dearis ſtirpe creatus (1) „ *demiſſiori, quo poſſum animo, obſecro, obteſtorque. Quod ſi mihi tributum a te, conceſſumque fuerit, non ſolum pro ea, qua lito, voluntate munuſculum tibi meum erit peracceptum, ſed inſuper, quod eſt ſummopere in votis, mihi in hac acie conſtituto facile patrocinaberis. Nam purus atque integer animus, & Cælitum gratiam promeretur, & eos quocumque vult, inclinat. Dicebam.*

(1) Lucretius de Nat. rerum lib. 1.

Magnum eſt Pietatis Sacramentum.
I. *ad Thimot.* 3. 16.

DE POENITENTIA.

I.

INter maxima, & pretioſa, quæ donavit nobis Chriſtus, ut per hec efficiamur divinæ conſortes naturæ, Penitentia recenſetur, Sacramentum utique, quo poſt Baptiſmum lapſi priſtinæ ſanctificanti Gratiæ redduntur, ac denuo inter Filios Dei computantur.

II.

Non eſt tamen Baptiſmus ipſe ſola memoria repetitus, ut Blaterant mendaces filii hominum in ſtateris ſuis, Lutherus nempe, Melanctou, atque ex Hereticis alii, ſed Sacramentum a Baptiſmate diſcretum, ab illoque penitiſſime diverſum.

III.

Cujus materiam temere Centuriatores ſtatuunt terrores ab adverſario, hoc eſt, a lege (1) incuſſos, fidemque ex Evangelii predicatione conceptam. Quippe ſi ſermo eſt de remota, conſtat, eum eſſe peccata poſt lavacrum regenerationis admiſſa, nec mortalia tantum, eo quod ipſum ſit Sacramentum mortuorum, ſed & venialia, immo & que jam fuere remiſſa quoad culpam & penam. Si vero de proxima loquamur, ſunt pro hac Penitentia actus, contritio nimirum, Confeſſio, & ſatisfactio.

IV.

(1) Nemo mihi ſuccenſeat, quod legem dixerim adverſarium, hoc enim nomine appellatur vel ab ipſemet Sacra Scriptura. Matthei enim V, ubi ait „ *Eſto conſentiens adverſario tuo, dum es in via, ne forte adverſarius tradat te Judici, & Judex tradat te Miniſtro, & in carcerem mittaris* „ per adverſarium Teſtibus Auguſtino, Anſelmo, & Beda, non niſi Dei legem intelligit. Hec enim cupiditatibus noſtris adverſatur, unde et plane conſentire tenemur, ne intentatas ab ea incurramus penas.

IV.

Tametſi habendi ſint in laudibus, qui ad hoc Sacramentum contritionem charitate perfectam adducunt, ea tamen non eſt ſimpliciter neceſſaria, ſed imperfecta, quæ ſcilicet ſancto movente ſpiritu concipitur ex metu Gehennæ, & pœnarum, ſufficit, etiamſi nullum involvat benevolum Dei amorem etiam initialem, ſed tantum concupiſcentiæ, quo, nempe amatur ille, prout merces noſtra magna nimis, ac pars noſtra eſt in eternum; Quam peccatum eſſe, & homines Hipocritas magiſque peccatores facere non niſi Heretico acti ſpiritu, perque ſummam blaſphemiam affirmant Novatores.

V.

Confeſſio vero, quæ, perperam refragante Dalleo, inſtitutionem a Christo habet, ac omnibus voluntarie peccantibus poſt acceptam notitiam veritatis mandatur ab ipſo cuſtodiri nimis, non generica dumtaxat confuſaque ſuimet accuſatio, ſed accurata, & diſtincta omnium mortalium declaratio peccatorum eſt, ſpecierum pariter univerſarum, inſuper & circumſtantiarum ſpeciem immutantium. Num quoque illarum ſit, que ſupra modum ſpeciem aggravant, relictum eſt diſputationi hominum, aperiam nihilo ſecius propoſitionem meam in hec verba = Has ſcilicet confeſſionem minime præferre, niſi adnexam habeant cenſuram vel reſervationem ſalvo quoad praxim ſapientiorum judicio.

VI.

De ſatisfactione ut dicam; In operibus hæc pœnalibus (a) conſiſtit, atque laborioſis, ut nempe conformes fiamus imagini filii Dei, qui ſatisfaciens pro nobis eſt ipſe in carne paſſus, atque in laboribus ipſe a juventute ſua. Corpus qui nolunt caſtigare ſuum, ſed in bonis dies ducere, in commeſſationibus, & ebrietatibus, & impudicitiis, cujuſmodi ſunt Lutherani & Kemnitiani (3) præfata (4) odio habent opera, omnemque lapidem movent, ut eradant ea de terra viventium, & nomen eorum non memoretur amplius. In vanum tamen, in irritumque

(a) Hinc docti cenſent dici pœnitentiam quaſi pene tenentiam, unde Auſonius inducens Methaneam, ideſt Pœnitentiam loquentem ſic ait.
Sum Dea quæ facti, non factique exigo pœnas
Ut te peniteat, ſic Methanee vocor

(3) Lutherani & Kemnitiani inquit Hiſtoria, non tam homines, quam Belluæ nans ſunt voluptatis amatores, ac veluti Turcicam ſequuntur obſcœnitatem, Cælibatum, jejunium, abſtinentias, pœnitentiæque labores execrantur.

(4) Lutherus Art 5 inquit „ Vehementer odi ſatisfactionem & jub latum vellem hoc vocabulum *Satisfactio*.

que laborant, ſiquidem iis, qui peccaverunt, divino decernuntur jure, non ſecus ac Confeſſio. Decernuntur, inquam, ad irrogatam Deo reparandam injuriam, ad extinguendam peccatis debitam temporariam pœnam, ad integrandum denique, conſumandamque Sacramentum.

VII.

Quamobrem poteſt, immo debet, & quidem ſub gravi ea pœnitenti Miniſter imponere, neque imponere ſolum, ſed quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctus, ut juxta menſuram delicti, ſit & plagarum modus. Quod ſane afflictionis onus abſque renixu acceptare pœnitens ſuper ſe, atque ex tota fortitudine ſua portare tenetur.

VIII.

Sed quiſnam inter homines eſt recenſitus nuper Miniſter? Extollunt Lutherani vocem, Fidelem quemlibet ſive laicum, ſive Clericum, ſive Marem, ſive Fœminam ſumere ſibi poſſe honorem miniſterii hujus. Aſt oh vanitates, & inſanias falſas, atque falſiſſimas! Solus enim vero Sacerdos, cui uni dedit Chriſtus judicium facere, cui uni ſolvere, ac ligare, cui remittere, ac retinere peccata dedit, ipſe equidem ſolus legitimus ex Evangelio diſpenſator eſt, ac idoneus Sacramenti Pœnitentiæ miniſter.

IX.

Verumtamen ad miniſterium hoc ſuum implendum neceſſum eſt, ut præter poteſtatem Ordinis, ipſi ſit Poteſtas juriſdictionis, vel ordinaria, vel a Superiore demandata. Alias quomodo poterit de iis, qui foris, qui ſuam extra juriſdictionem ſunt, judicare?

X.

Quin oportet illum, & teſtimonium habere bonum ab Epiſcopo, teſtimonium loquor ſcientiæ, & Probitatis uſitato nomine approbationem dictum, idque non ſolum ad licitum, verum etiam ad validum.

XI.

His munitus præſidiis abſolvens, non diſſolutas preciſe annuntiat, ut vult Michael Bajus, ſed vere diſſolvit colligationes impietatis. Hac etenim induta ſunt virtute ex alio verba illa indicativi modi „ *Ego te abſolvo a peccatis tuis* „ quæ eſſentialem conſtant hujus Sacramenti formam, ut ipſam reapſe, quam ſignificant, ſolutionem delictorum faciant.

XII.

Sive porro abſolvat ſive tantum ſacramentaliter audiat, clau-

ſ

cludere ipſe debet oſtium ſuper puerum illiuſque peccata. Omnia namque jura volunt, ut non loquatur os ejus opera hominum, omnia in eum jura clamant „ *Audiſti verbum commoriatur in te* „ Quæ obligatio ſacramentalis ſigilli (5) ita ſtringit miniſtrum, ut paratus eſſe debeat, & in carcerem, & in mortem ire potius, quam illud infringere, majoris enim ponderis quam vita eſt ſilentium in iis, quæ non licet homini loqui.

Hic finem ſermonis faciam, in quo ſi quidem bene, atque exactiore, ut par eſt, orationis conſtructione hoc & ipſe vellim, ſin autem minus digne, ſeu ſtilo minus forte polito, minus terſo, ſplendido minus, quam Sacramenti Majeſtas, vel ſummorum ſagentium dignitas, aures, ac palata depo cere videantur, concedendum eſt mihi. Sicut enim vinum ſemper bibere, aut ſemper aquam contrarium eſt, alternis autem uti delectabile, ita legentibus, ſi ſemper exactus eſt ſermo, non erit gratus. Hic ergo erit conſumatus. (6)

Diſputabuntur in Eccleſia S. Michaelis Carmelitarum Diſcalceatorum Anno Domini 1780.

Menſe *Die* *Hora*

EXO-

(5) Hoc ſecretum confeſſionis appellatur per metaphoram ſigillum a ſimilitudine literarum quæ obſignari ſigillo ſolent, ut quod in iis continetur ſacrum, & inviolatum remaneat, nec aperiri a quopiam poſſit

(6) Verba ſunt iſta Auctoris libri ſecundi Machabæorum, quibus petit ſibi ignoſci, non (ut Whitakerus, aliique Heretici fingunt) errata, quæ probe ſciebat nulla operi ſuo ineſſe ſed ſtilum minus forte exactum, & ut Auctor ipſe ait, minus dignum ; In ſtilo enim, modoque ſcribendi, ut plurimum Scriptoris ſacri relinquit ſibi, ſuaque naturali ſcientia Spiritus Sanctus, unde fit quod alius alio eloquentior ſubinde, & grandiloquentior ſit, numquam tamen vaniloquentior.

EXOMOLOGESIS (7)

SIVE

GRATIARUM ACTIO.

Diva fave, tu quæ cepi, benefacta repende.
His nempe grates Gratia redde pares.
Sic ego, at illa mihi, non ſunt Muliebria, dixit
Numina, non tanto ſunt ſatis officio.

(7) Tametſi exomologeſis confeſſionem vulgo ſignificet, ipſa tamen Confeſſio pro gratiarum actione uſurpatur etiam in ipſis ſacris literis Nam illa verba Pſal 110 „ Confeſſio & magnificentia opus ejus „ ſic exponuntur a Cathechiſmo Romano part 2 num. 4 de Eucharistia, ubi „ hoc nomen æquit, gratiarum actionem interpretamur, quod convenit cum iis quæ a Chriſto geſta eſſe in hoc miſterio inſtituendo legimus, etenim panem accipiens fregit, & gratias egit, David quoque cum hujus miſterii magnitudinem contemplaretur antequam carmen illud pronuntiaret, *Memoria fecit* &c. uſum dedit &c gratiarum actionem preponendam exiſtimavit, cum inquit „ *Confeſſio & magnificentia opus ejus*.

SENIS MDCCLXX.

Ex Typographia Vincentii Pazzini Carli & Filiorum

Superiorum Facultat.

GA 934-56